

niorum tempore vesebantur. Sed Innocentius Tertius in Lateranensi Concilio interdictit. Ita Vincentius, Ortelius, et Olanus, ac alii. Verum sint istae lales arborae volucres, nihil tamen ad nostras. In arbore nostra Rosarii conversantur volacres coeli, spiritus angelorum, beatorumque mentes. Hisc conversari volaplansum est, inter fratres tanta conspirantium voluntatum unione coniunctos, tot in bonorum spiritualium communione mutua participes; nimirum quibus Christi nomine congregatis, cum medius intersit Rex coeli, coeli quoque abesse aula regia non debet; sed non coelum duntaxat suas habet volucres, quae in terra cum fratribus conversentur; habet suas quoque et terra, quarum conversatio in coelis est. Huius sunt generis piae, ac religiose utriusque sexus, ac status animae, quae alioris studiosae perfectionis in sedula bonorum fraternitatis communicatione versantur, et tanta cum charitate fratrum, ut in ramis eius habitare, inque fratrum animis vivere videantur. Non ita belle vivunt, aut habitant illi, quos in nova Hispania inter ingenium arborum ramos palatia etiam edificare scribit Petrus Martyr. Inhabitasse autem unam ex arboribus istis, plusquam ducentos familiares tradit Petrus Hispanus. Sunt aliae nostrae arboris ceterum modica tanta, ut in eius comparationem arborum ceterarum nulla venire queat. Quod nemini videri mirum debet, quando, quae natura in se habet summa, ea vix tam infima adiciantur, esse arbores, quas laedae neque si aut vellatur, aut secetur foco instruendo, fumus adusti ligni continuo capitis inferi cruciatibus immanes, in Cotha, sinu Hispaniorum, quaedam ligna cum aduruntur, incensiorum fumo etiam exanimant. In Coeo certum spinarum genus est, quas qui convellere, turbaeque nititur, vel levi pumetura ictus, morte exlinguitur. Compertum est saepius, haud impune facile a quoquam fraternitatis arborem, aut odium appellatum, aut maledictis laceratam, aut alia turbantem infestatione, seu laesam persecutione fuisse. Nunc igitur confratres, atque sorores quasi rosa plantata super rivos aquarum, fructificate, quasi Libanus odorem suavitatis habeat, florete flores, quasi liliis, et laudate Canticum Psalterii Mariae, et benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini eius magnificentiam, et confitemini illi in voce laborum vestrorum, et in Canticis laborum, dicite, Ave Maria.

Addo his, quae de arboris metaphora dixi, mirandam quandam, et inauditam arborem, cuius meminit Rebellius (*lib. 1. de Rosario c. 6. art. 1.*) Commemorat natam fuisse in Ibernia in diocesi Corcoronensi in territorio Comitum Destron prodigiosam quandam arborem longitudo septem, vel octo palmorum, quae reliquis omnibus arboribus valde dissimilis erat; in eo tamen longe dissimilior, quod ex ramis eius pendebant rosaria, quorum calculi orbiculares erant, suis funibus inserti. Affirmat autem hoc portentum visum fuisse anno 1575. nonnullaque ex rosariis allata fuisse in oppi-

dum Britanniae nomine Sanctimalo, quo mirabili portento voluit Deus, etiam ut antor natae, Rosarium approbare, et consequenter fraternitatem, tantae Virginis devotioni addictam, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

#### HOMILIA VIII.

*De percelebri victoria a Christianis contra Turcas, Virginis intercessione, ad Rosarii confraternitatis precibus parta.*

Primordia huius festivitatis alius repetere compellor, tum propter insignem victricem b. Virginis auspicio comparatam, tum ut qua ratione festum Virginis victorialis cum Rosario cohaereat, clarius omnibus innotescat. Anno a nativitate Christi Domini 1571. Dominica prima Octobris, christiani nominis milites, insignem, ac memorabilem de Turcis christianae religionis infestissimis hostibus, adiutorio Deiparae Virginis, contumissive precibus confratrum Mariani Rosarii, reportarunt, ut summi Pontifices Pius V. et Gregorius XIII. Apostolicis suis diplomatis constentur. Etenim, sicut olim tempore magni patriarchae Dominici visa est Deipara Virgo adiuvans Comitem montis Fortis contra Albigenes, quorum exercitum centum quinquaginta lapidibus iactis fugavit, ita et modo ipsius adinlorio Barbarorum classem Ioannes Austricus Caroli Quinti imperatoris filius fugavit, ac perdidit. Haec sicut fortissimus dux Barach, tametsi a Domino iussus fuisset, ut (*Iudic. 4.*) legimus, Sisaram oppugnare, non arma sumpsit, donec famosissima Debhora illum ad bellum comitareretur: ita fortissimus dux Ioannes Austricus cum hoste inire renuit certamen, nisi beata Virgo, ac potentissimum eius auxilium sibi adesset: adfuit propitia Virgo precibus confratrum Rosarii, adfuit eius praesidium, adfuit eius tutela, et protectio, ita ut turcica classis, quae numero, et potentia, christianis exercitibus longe superabat vires, facile ab eo fuerit profligata. Imitatus est Ioannes Austricus Britanniae regem, nomine Artum: nam sicut ille, ut refert Rupertus Olehad. (*super libr. Sapient. lectio. 35.*) solitus erat, dum bellaret, ferre in interiori parte clypei depictam imaginem beatissimae Virginis, quam quoties in mediis belli periculis religiose prospiciebat, toties auxilium Virginis confestim impetrabat; sic Ioannes Austricus, in beatam Virginem oculos coniciens, potentissimas Turcarum vires confregit, ac gloriosam de illis tulit victricem. Quare, sicut tempore Ezechiae, cum Assyriorum potentissimus rex Ierobolymam circumdedisset, nec tantae potentiae resistere potuisset, misit Rex ad Isaiam sacerdotes, sacris coopertos, qui dicerent, *Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiae, dies haec: et Propheta respondit in persona Domini: Non intrabit civitatem hanc, et non ta-*

*ciat sagittam, et non occupabit eam clypeus: protegem civitatem, ut salvem eam propter me, et propter David servum meum: ita et novissimis nostris temporibus Deus Optimus Maximus propter semetipsum, et propter matrem suam, nos perditos homines ab hostibus tutatus est, cum Rosarii confratres ubique locorum, eius opem interpellarent Dominica prima Octobris. Cum igitur Christiani in hac die potius fuerint illo singulari beneficio, ut Barbarorum funditus potentiam contererent, ad memoriam eius recolendam, statuerunt sacri Pontifices praesens festum Virginis victorialis religiose celebrari a confratribus Mariani Rosarii, qui eius sodalitis nomen dederunt: etenim, sicut olim (*Exod. 17.*) cum Iudaicus populus victricem reportavit contra Amalech, pugnantem quidem in campestribus populo, sed potissimum orante Moysse in monte, praecepit Dominus, ut ad perpetuam rei memoriam, victoria haec litteris commendaretur: ita etiam, quia pugnantibus in mari fidelibus, sed in throno regio sedente Virgine, et iuvante, immo vincente, brachia eius sustentantibus Rosarii confratribus, ut quondam fecerant Aaron, et Hur, ne hominum peccatis ab orando cohiberentur, levantes oculos in montes, inde adfuit paratum auxilium, quo fugati sunt hostes, erepti fideles: cuius rei memoriam agimus. Mos enim inter Catholicos inolevit, ut comparatis victricis, precibus potius, quam armis a potentia inimicorum Dei misericordia liberatis in eius rei felicem recordationem, dies festi celebrarentur: sic Abraham, ut adnotavit Origenes (*hom. 34. in Gen.*), postquam tabernaculum fixit ante quercum Mambrae, statim ibi altare Domino extraxit, et addidit: *Audisti mentem gratam, qui mox ut tabernaculum fixit, facta sibi in promissione, gratiarum actiones obtulit Domino: sic cum Esther sollicitudine et precibus, impiam, quam tulerat Assuerus in Iudaeos mortis sententiam, revocavit, dies hic quartadecima mensis Adar solemniter fuit in lege veteri semper habita; sicut et ille, in quo admiranda Iudith virtute trucidatus est Holophernes, et fugati hostes, ab Hebraeis religiose celebratur: festis etiam variis Machabaeorum saeculo victricis celebrari solitas, nemo ignorat.**

Quid plura? sicut quondam in eadem lege veteri singulis diebus, in quibus insigni aliquo beneficio fuerat politus populus, Hebraeorum festa celebrabantur, et festum Phase in memoriam acceptae libertatis, cum Domino illam eudixit ex dura Pharaonis servitute; festum Pentecostes, in memoriam legis scriptae sibi datae: festum tabernaculorum, in recordatione beneficiorum, quae per desertum incedens susceperat: sed et cunctorum aggregatim singularem, ac festivam commemorationem fecit, cum ingressus est in terra promissionis: ita Ecclesia, et praesertim Hispania, quae per totum anni circulum singulis sacris Rosarii mysteriis dies festivos consecrat, hunc etiam praesentem cunctis simul dedicandum, suis instituit, ut in eo, ob insigne illud navalis victoriae beneficium, cum reliquis omnibus, quibus beatissima Virgo quotidie Ec-

clesiam cumulat, tam Christo Domino, quam eius parenti debitae gratiae agerentur. Merito ergo illis infelicissimis temporibus, cum sancta in praedam extraneorum data erant, ac Deus ita iratus esset, ut suum repulsiis altare videretur, ac ita maledixisse sanctificationi suae, ut fidelium templa barbarorum essent fana, immo eorum, et iumentorum habitacula: merito, inquam, Deo iam propitio, ex Virginis intercessione, Filium, et Matrem multifariam, multisque modis laudare, ac diebus praesertim festis colere opus est, prout et antiqui Patres factiarunt.

Unde, sicut in bellis pugnantibus militibus, victoria potissimum adscribitur duci: unde mos fuit Romanis, ut coronati Duces insigni poterant triumpho, acclamaretque populus victori, qui triumphali vehebatur curru, cum provinciam aliquam imperio vixisset Romano; ita licet milites christiani viriliter in mari contra hostes dimicassent, vitam continentem; quia tamen victricem hanc, non tam armis, quam Virginis precibus partam credidit Pontifex, illi gratias referendas censuit; et, ut olim victor curru insidens regio laudabatur, et Urbem ingrediebatur, a cunctis acclamatus; ita et hac die sacra Virgo humeris delata, per claustra circumducitur, cui fideles grati hymnos concinunt clamantes, *Ave Maris stella, etc. Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter: ideo eris benedicta in aeternum; et sicut olim ea arma, quibus Iudaei victricem ab hostibus fuerant consecuti, in templo reponi solebant: sic modo vexilla in Ecclesiam collocantur in Dei, matrisque suae gloriam, et victricis laudem, non secus ac gladius Goliae, quo interemptus potentissimus hostis fuerat, a David in tabernaculo collocatus fuit, et Iudith universa vasa bellica Holophernis obtulit in anathema oblationis, ea in templo collocans: et sicut quondam quia mediis tubis hostes expugnati fuerat a Iudaeis, voluit Deus, ut singulis annis festum ageretur tubarum; sic et modo, quo sancti Rosarii devotioe hac, quam celebramus, habita est victoria, Virginem his calculis ornata, solemniter processione congregata, in gratiarum actionem decimus, ne alioquin, si ingrati essemus, ingrattitudinis nostrae debitas poenas luere, sicut illas luit rex Ezechias; nam, ut tradunt Hebraei (*in cap. 3. Isaiae*), ideo Ezechias graviter aegrotavit, quoniam post singularem Iudaeorum victricem, et Assyriorum regis interitum, non cecinit laudes Domino, quas tamen diligenter exhibuerat Moyses, Pharaone submerso, Debhora, interfecto Sisara, et Anna, genito Simele, et alii non pauci, quos pridie commemoravi.*

Ceterum mihi attente perpendenti effrenata adversus christianam gentem Turcarum rabiem, insignemque victricem sub vexillis sacrosanctae Virginis Deiparae Mariae a Christianis obtentam eognee mihi illam delineasse videtur divus Ieronymus (*cap. 12. suae Apocalypsis*). Aspetit ille signum magnum in coelo, mulierem sole amictam, stellis coronatam, quae nitebatur parere, quod in uero habebat: vidit etiam extemplo draconem magnum rufum, sep-



tem capita habentem, et cornu deceu, septemque diademata super capita: scio haec apte referri posse ad crudelem draconem Herodem, qui conatus fuit trucidare infantem Virginis filium recens natum, steli ante mulierem, quae erat paritura, ut, cum filium peperisset, devoraret; ad beata Virgo caute fugit in solitudinem Ægyptiacam ad locum sibi a Deo paratum: verum est, quod postea in manus incidens saevissimi populi Iudaei, crucis mortem sustinuit: ad ipse ingluviem daemonis, et mortis illusit, et e sepulcro gloriosus prodens, spoliis suis onustus, raptus est ad Demm, et ad thronum eius: mater etiam solitaria, iam filio orbata, in solitudinem, in qua nonaginta novem electas oves bonus pastor reliquerat, duabus contemplationis et operationis pennis elata, post filium abeuntem abiit. Verum nostro argumento accommodatius est, nomine draconis daemonem ipsum designari, iuxta illud Davidis (Psalm. 103): *Draco iste, quem formasti ad iludendum ei: hic insidias paravit Virgini matri, iuxta divinum vaticinium (Genes. 3): Tu insidiaberis calcaneo eius.* Insidias etiam paravit Filio in deserto, varia tentationum tela in eum coniciens: nemo autem est, qui ignoret daemone tam a Matre, quam a Filio fuisse superatum, ac ignominiose devictum. Virgo caput eius contrivit (Genes. 3): *Ipsa conteret caput tuum.*

Filius autem Virginis similiter eum profugavit, ac fugam arripere compulsi: *Nunc princeps huius mundi eiecitur foras.* Videns autem daemon nihil praevalere potuisse adversus Filium, neque Matrem, christianam prolem utriusque per barbaros Turcas, tanquam per satellites suos, radicibus perdere tentavit: cum nihil proficere, iratus in mulierem: *Abiit facere praelium cum reliquis de semine eius, qui custodiendum mandata Dei, et habent testimonium Iesu Christi.* Planum est, nullam nationem, aut gentem, testimonium Iesu Christi habere, nisi republicam christianam. Contra hanc non semel decertavit veneticus hic draco, sed saepe saepius, ut satis indicant septem capita eius: dum enim draconem septem capitum nominat, satis liquet non unum praelium movisse contra seminis Mariani reliquias, sed plura. Est enim ille hydra, cui uno capite amputato, continuo aliud ei subnascitur, uno, et altero praelio non desinit fractus, sed animos sumens, finem praecedentis facti gradum futuri: novis exercitiis paratis, novas machinas admoveat: Synagoga prostrata, philosophos, magos, impostores submovit: his in ipse limine palaestrae concutatis, fiducias, castas, cruces, ignes, bestias Nervanis, Domitiani, Decii, Maximiani, Vespasiani submitit: leonibus edentatis, et exungulatis serpentes, nuncquam tamen desistit veterator, qua per falsos fratres, qui per fallaces amicos, qua per pseudo angelicos viros, portas inferorum, et phalanges cerberae commovere prosterendis fidelibus: novissime diebus nostris Turcam fero-

cem spebus magnis inflatum permovit, Cyprum nobilem insulam Venetis eriperat, et iam ipse devorarat universam Europam christianam cultu insigne, facile sibi pollicebatur victoriam, hoc antemurali fortissimo Christianis iurepto: quamobrem trierarchis congregatis iuvent magnam quam possent, classem instruit, annonam, vasa bellica, tormenta, navigiis imponit, Italicamque florentissimam provinciam nunc vicarii Christi sede illustrem, contendunt, et vel navali praelio, si quisquam decertaturus occurrisset: vel milite in terram hostilem exposito, sive aperto Marte, sive dolis consuetis de tota christianitate decernunt: scripsit innumeras cohortes lectissimorum militum, ac viros usu rerum militarium peritissimos, sic milite, pecunia, annona, machinis instructam classem mari Achaico ad Naupactum commisit. Videres urbem amplissimum ponto innare, tanta copia navium, triremium, biremium, dromadam, liburnicam, hypogonum, et aliarum mare obumbrarat: diceres tunc draconem infernalem, non flumen, sed ipsum mare vomuisse, quod obrueret inclytum germen Mariae. Pius Quintus, immortalitate dignus Pontifex, praerat tunc Ecclesiae catholicae, et ut erat vigilans custos mandrae Dominicae, ne oves, Christi sanguine parvae, a crudeli leone dilaniarentur, ne venirent gentes in Dei haereditatem, poluerentque templa Dei sancta, et ponerent novam Ierusalem in pomorum custodia: appro de sylvia venient, et singulari ferro sese opponere decrevit. Philippo itaque Secundo rege Hispaniarum, et republica Veneta, in societatem sacri Belli unitis, quantas potest copias colligit, trudentemque fidem irruenti opponit: sed numero, viribus, et quod magis erat, discordia inestina foederatorum longe inferiores: ipse ad sacram Ecclesiae mediatricem Mariam se, et cunctos fideles excitat, velat sole amica, lunatum, insigne Turcarum est lunae semicirculus, hostem pedibus deterrere, aut depellere. Gravis manibus novus hic Moyses in adiutorium orationis adiungit sibi comes, qui fessas iam sub onere palmas, iunctis precibus attollerent, invarent, et interprete Maria, a cervicibus suis tot regnorum hellonem deciderent. Aderat dies, quo aut turpis servitus, aut dura mors subienda fuerat, missis ad impetum reprimendum foederatis. Funus Italiae timebatur universae, victoriam quis sperasset? a tam paucis? a tam inter se diversarum voluntatum proceribus? ad sperabat Pius pontifex, non desperabat ipse cultores sacrosanctae Deiparae, illo die Dominico, sacris Marianis devoto, rem illi divinam in sodalibus Rosarii per universam Italiam, et Hispaniam facientes. Nec vanae spes fuerat Pii, et piorum. Qua hora praelium commissum est in sinu Naupacti, beatissima Virgo Maria Pii, et piorum preces exaudiens, Pio V. revelari obtinuit, certam de hostibus victoriam a Ioanne Austriaco, qui Classi praerat, iam partam. Ventus, qui oriente sole, in nostro cum pernicie flare coeperat, quod non absque miraculo contigisse creditur, in numerosam Turcarum classem ita reflexerat flatu, ut pulveres tormentarii, et flammae in oculos

hostium redirent, nostrorum aspectum adimerent, immo et in terga iam inter se tumultuans impulsus, victoriam hosti eriperent, nostris concederent, Mariae Deiparae ductrici, et victrici potius, quam alteri adscribendam:

Cui militat Æther.

Et coniurati veniunt ad classica venti.

Ipsa pro populo pugnante,

Mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum frigidus Staret intrepidus iuvisset Maria sanguis. (amms)

Pulchrum erat videre, cum Turcae ad impetum flammaram, quae relabebantur territi, et confusi, desperata venia necem in vadis quaerebant, dantes se in mare praecipites, ut aliud caedis compendium fessis caedentium dexteris eveniret. Sic mare, quod absorbendis Christianis Turcae paraverant, et armaverant, ipsius exitio fuit, ne tam deformia portenta vel hanc obitus sui relinquere famam, quod virorum fortium gladio, lelove cecidissent. Mare olim, cum Israel videt, ad eius aspectum effugit; nunc violentum, et turbidum ad hostes Ecclesiae sorbendos, vento vehementiore commotum currit, quos postea, ne eius lateret obsequium, cruciatibus cadaveribus prodidit. Mare Eritreum profugatum ad perniciem Pharaonis rediit, ne ex illo relabente enaret, quod sicco vestigio ingressus fuerat. Achaicum quoque ad Othomanicam interaerionem sese colligens, refluxit, ut quam plures obrueret, qui sceleris participes extitissent. Dixerat inimicus: *Persequar, et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea;* sed adiutor in tribulationibus motus prece Matris; haec autem oratione piorum descendit, adiuvit, ab intereptione liberavit: *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum, et in multitudine gloriae tuae deposuisti aduersarios tuos. Misisti iram tuam, quae devoravit eos, sicut stipulam, et in spiritu furoris tui congregatae sunt aquae. Stetit unda fluens, congregatae sunt abyssi in medio mari. Flavuit spiritus tuus, et operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Electi principes submersi sunt in Mari Achaico. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui? Magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, et faciens mirabilia.*

Sed et quis similis tibi inter fortes mulieres, o Maria? Quis similis tui? Magnifica in sanctimonia, magnanimis in opere, perpetrans mirabilia, et fortitudinem, ac victoriam tribuens implorantibus auxilium tuum: quod antiqui prophetae non obscure mihi videntur vaticinari, quippe quom Balaam (Numer. 24) praedixit: *Orietur stella ex Jacob, et consurgit virga de Israel, et percuetur duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Arca veteris testamenti Philistaeo percussit, et draconem trucidavit: Iael Sisarae tempora aculo clavo terabravit. A Salomone vocatur, *terribilis ut ca-*

*strorum acies ordinata, et alibi comparatur turri armis munitissima: Mille clypei pendunt ex ea, omnis armatura fortium:* alibi ab Ecclesiastico apte similatur platano: nam praeter quam quod folia eius figuram clypei praese ferant, Pierius Valerianus (in suis Hieroglyphis. 8) affirmat, observatum esse, immiticium magnam insulam esse inter vesperiliones, et nycticoraces, ut tamen isti a vesperilionum molestiis se tuentur, nidum suum platani foliis intus circumdant, quia vesperiliones ita platani exhorrent, ut locum ubi adest, omnino fugiant. Planus quidem Hispaniae, et totius Ecclesiae catholicae beata Virgo est, quam pureissimum vesperiliones, per quos tam haereticos, quam Turcas, fenearum instar vesperilionum amatores, valde execerantur. Singularis autem virtus, ac imata antipathia huic sacrae platano, nempe Virgini Deiparae apta se, et a nostra Hispania haereticos profugavit, haereres interemit, Turcas devicit, et expugnavit. Alibi non minus convenienter (c. 24) palmae b. Virginem comparat: *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Gregium sane prognosticum. Maria instar palmae exaltata in Ecclesia. Gerit Augusto Romanorum Imperatori in eius ara palma renata, Tarraconensium, qui prius viderant, interpretatione, victoriam portendebat: iulio etiam Caesari in Hispania contra filios Pompei pugnanti, atque praecelaram victoriam reportanti, in eo ipso loco, quo eo tempore pugnatum est, ramus palmae erumpens recens natum Octavium sororis filium, clavis orbis triumphatorem futurum designavit. Maria sublimis in Ecclesia, palmae instar elevata est. Felix ostentum, faustum portentum. Victrix illa serpentis, triumphatrix genitum serpentis, barbarici Turcarum, et infidelitatis haereticorum perpetua debellatrix, sicut phalanges innumerabiles Maurorum, ut et felicitus votis Pii V. ammuere, et Christi fidelibus periclitantibus opitularetur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

#### HOMILIA IX.

*Impii haeretici tam in Mariam Rosarium, quam in sacram eius confraternitatem turpiter debacchantur, sed ab eorum calumniis illa vindicamus.*

Haeretici huius tempestatis tanquam legitimi antiqui septentis partus, calcaneo Deiparae Virginis insidiantes, ut ex divino oraculo futurum praedixit Moyses, multifariam, multisque modis tam adversus religiosos reciantes Rosarii consuetudinem, quam numerum salutationum angelicarum, quibus illud constat, necnon contra sanctissimi Rosarii confraternitatem petulantur insultant; sed Deo auspice, Davydicus Rosariorum fundis instruit, et orationum scutis obarmati, Golithanam haereticorum molem, ac Babylonicae meretricis effrontem



frontem prosternemus, acriterque saueabimus. Impius haeresiarcha Calvinus adversus salutationis angelicae usum, in hunc modum invehitur: *Temere sibi alienum officium usurpant papistae, quod Deus non nisi angelo inunxit.* Stulta tamen obiectio: quid enim consequentia habet, angelus salutavit Mariam, ergo nos salutare non debemus: nam si cum angelis canimus, *Gloria in excelsis Deo*; cur non cum angelo Mariam salutabimus? nonne stulta haec esset consecutio? Raphael dixit Tobiae (cap. 1): *Gaudium tibi sit semper; pax tibi: ergo nefas est nobis usurpare hanc salutationem?* si ergo licet imitari Raphaelem officiose, cur non et Gabrielem religiose? Delirat ergo Calvinus, dum temere putat morem illum salutandi Virginem, sic soli angelo inunctum fuisse, ut nemini salutationem illam repetere liceat. Sed nec minus mihi desipere videtur, cum adversus eiusdem salutationis angelicae usum, nobis fidelibus obiectat, frustra nos Virginem salutare, cum salutato ad praesentem dirigatur, non ab absentem; Virgo autem absens est a nobis, cum illa in coelo habitat, nos in terra degamus. Sed errat toto coelo, quia B. Virgo nostris rebus interest, nostraque plene in Verbo agnoscit, non minus, quam angeli, immo excellentius, tanquam regina angelorum. De angelis autem d. Augustinus ait (lib. 11. de Civ. Dei cap. 31): *Sancti angeli sicut habent permanenti aeternitatem, ita cognoscendi facilitatem, et requiescendi felicitatem, sine difficultate quippe nos adiuvant.* Hinc B. Germanus (serm. 11. de assumpt. Virginem), nobis adesse considerans, sic eam alloquitur: *Spiritus tuus, o Maria, vivit in aeternum, et caro tua in sepulcro corruptionem non sustinuit, omnia observas, ac contueris, et inspecto tua ad omnes se porrigit: quibus consonat illa divi Bernardi (serm. 1. tractat. sup. Salve Reg.): Oportet, ut nobis praesentem esse dicamus, quam praesentem salutamus, et ut totam animae nostrae trinitatem in eam dirigamus, quantum devotis precibus exoramus, agnoscit certe, et diligit diligentes se, et prope est in veritate invocantibus se, praesertim his, quos videt sibi conformes factos in castitate, et humilitate.* Et quidem si Eliseus, ut (lib. 4. Reg. 4) legitur, puerum suum absens corpore vidit accipiente munera; quanto magis beata Virgo cognoscat absens opera nostra? quare praeclare divus Maximus (serm. de s. Nazario) dixit: *Non clauditur locis, quod diffunditur meritis: invocasti ubique Mariam: ubique te exaudiet ille, qui honoratur, in Maria. Moderante quoque igitur eo, qui pensat vota tua, et dispensat munera sua, in tantum vicina praesentia efficitis praebebitur advocatae, in quantum fuerit fides devota suscepta.*

Alii haereticis in precationem numerum, quibus constat Marianum Rosarium, acerrime invehantur, ac sacriligae superstitionis notam illi incurrentes irritent, quod quinario Dominicarum orationum, et quinquagesimo angelicarum, et quindenario decadam ad integrum Virginis Psalterium explendam utamur, ad imprudenter, et insipienter nos ab illis increparei, quod certo precationum numero utamur, non solum ex sanctis Patribus, sed ex sacris Scrip-

turis apertissime comprobato. Possem quidem ad id non paucos locupletissimos auctores in medium afferre, qui hoc ipsum sensere: sed mihi nunc sit, instar omnium, auctoritas sancti, et magni patris Augustini, qui (in lib. 11. Civit. Dei) haec scripsit: *Numeri ratio contentenda nequaquam est, quae in multis sacrarum Scripturarum locis, quam magni sit aestimanda, elucet diligenter intuitibus, nec frustra in laudibus Dei dictum est: Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti: et (de doctr. Chri. lib. 2) sic ait: Numerorum imperitia multa facit, non intelligit translate, ac mystice posita in Scripturis. Ingenium quippe, ut ita dixerim, non potest non nocere, quid sibi velit, quod et Moyses, et Helias, et ipse Dominus noster quadraginta diebus teinnaverunt, cuius actionis figuratus quidam modus, nisi huius numeri cognitione, et consideratione non sollicitur: et infra: Multis, atque aliis numerorum formis quaedam similitudinum in libris sanctis secretum promuntur, quae propter numerorum imperitiam legentibus sunt clausa. (In libro deniq. quaestion. sup. Gen.), dum loquitur de Israelitico populo ingrediente Aegyptum, haec in medium affert: Videndum est, quid sibi velit, quod cum Ioseph, et filii eius non amplius, quam octo commemorantur, Benjamin vero, et eius filii simul undecim reperiantur, non decem, et novem omnes sicut sunt octo, et undecim, sed decem, et octo referantur in summam, et postea Ioseph cum filiis suis non animae octo, sed novem fuisse dicantur, cum novem inveniantur. Haec, quae indissolubilia videntur, magnam continent sine dubitatione rationem; sed nescio, utrum possint cuncta ad litteram convenire, praecipue in numeris, quos in Scripturis esse sacratissimos, et mysteriorum plenissimos ea quibusdam, quos inde nosse potuimus, dignissime, et firmissime credimus.*

Ex his etenim signatur mysteria, reconditamque continent doctrinam de Christo, et Ecclesia, de Evangelio, et rebus similibus alibi in Scriptura proditis, et comprobatis. Quod, ut clarius pateat, id ex lege naturali, et humana facile ostendam. Certe in lege naturae decimae initium semper sunt, quae in ministerium Ecclesiae sustentationem, et Dei cultum institutae sunt, ut patet (Gen. cap. 14). Abraham etiam tria sala similiae commiserit fecit, et tamen unum tantum vitulum saginatum occidit fecit, ad offerendum tribus angelis, qui ei apparuerunt, ut patet (Gen. cap. 18), mysterium Trinitatis cum essentiae unitate designans. Unde etiam, licet tres viderat, tamen unum adoravit. Quis etiam ignorat in veteri lege oblationes, et sacrificia offerri sub certo numero praecipit? Item certi ministri, certi dies festi, et certi actus erant in ea ordinati ad Dei cultum, ut patet in libris Exodi, Levitici, Numerorum. Completo etiam Salomonis tabernaculo, principes populi sub certo numero munera obtulerunt, ut patet (Numer. cap. 7. et 1. Paral. cap. 8). David etiam certum numerum cantorum et ianitorum, qui per vice suas Domino servirent, insituit, ut patet (1. Paralip. cap. 23. et 24). Et in veteri testamento propitiatorium longitudine duorum cubitorum, et semis

fieri demandatum, quo Christum hominem demonstraret. Quod et apud Apostolum (epistola ad Romanos) habetur: qui quidem licet verus esset homo, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius, aliquid tamen habuit, quod humanam naturam excederet, tria tamen non exaequaret: nam paler eo maior est. Item Paulus (epistola ad Hebraeos) interpretatur in eo, quod Pontifex semel tantum in anno ingreditur in Sancta Sanctorum, latuisse mysterium, quod Christus semel esset moriturus, seque ad expiandum peccatum humani generis oblatum victimam. Ioannes (cap. 5) prioris epistolae, tria recenset, quae testimonium de Deo dant in terra: spiritum, dico, aquam, et sanguinem, et subindicat in illis mysterium Triadis esse in divinitate positum.

Deinde ipse Christus Dominus (Matth. cap. 11) tres dies, quibus Ionas fuit in ventre ceti, docet praesiguisse mysterium mortis, ac sepulturae suae ad triduum, et gloriose deinde resurrectionis. Quid plura? Christus certo tempore nasci, circumcidi, in templo offerri, baptizari, et praedicare voluit, similiter pati, resurgere, et in coelum ascendere; Apostolos, et discipulos in certo numero habuit; certos etiam homines ex quinque panibus, et duobus piscibus satiavit (Matth. cap. 14. et 17); pisces etiam in certo numero (Ioann. cap. 21) non sine singulari mysterio Petrus ad litus traxit.

In hac etiam nova lege certa sunt praecipua, sacramenta septem, et septem dona Spiritus sancti, duodecim articuli fidei, septem orationis Dominicae petitiones: certa sunt misericordiae opera corporalia, et spiritalia, quibus omnibus Deus et veneratur, et colitur.

Ceterum ut magis innotescat longe a superstitione abesse praefixus numerus orationum, quae ad solvendum integrum Rosarii pensum effunduntur, prius de quinario orationum dominicarum, deinde de numero quinquagenario angelicarum salutationum, et de centesimo, et quinquagesimo, ex quibus ternarium trium quinquagenarium integri Mariani psalterii constat, disseremus. Quinarius in primis orationum Dominicarum mysterio non caret, quia ad quinque praecipue vulnera corporis Christi, quod ex Maria Virgine sumpsit, refertur; et quidem nemo est tam sacrarum litterarum ignarus, qui in eis non agnoscat sacrum haberi numerum quinarium. (Gen. cap. 43) in convivio apposita cuique fratrum parte sua, ad postremo genitum Benjamin maiorem partem apposuit illa, ut quinque partibus excederet. Iustus ille Ioseph Christus nobis Benjaminis dolorum suorum filiis, hora novissima genitis, de corpore suo quinque vulnera aperit ac praebet. Item (Gen. cap. 45) cum fratribus singulis proferri iussit binas stolae; Benjamin vero dedit 300. argenteos cum quinque siolis optimis. Iustus Ioseph noster pretium corporis sui, quod appretiatum est triginta argenteis, nobis dedit cum quinque vulneribus, ubi stolae nostras abluamus. Quid ille tabernaculi columnae? de quibus ad Moysen Dominus (Exod. cap. 26): *Quinque columnas deaurabis lignorum Setim, ante quas ducentur tentorium, quarum*

erunt capita aurea, et bases aeneae; tam quinque cubitorum altitudo, seu latitudo, quam frequens iussa fuit a Deo in constructione seu allaris (Exod. 27), seu tabernaculi, seu templi (Reg. cap. 6), sive in numero horiarum caedendarum (Numer. 7): quae singula magis plena sunt mysteriis. (Levit. cap. 27) pretium redemptionis primogeniti masculi siclorum erat quinque: nostra redemptio vulneribus constat quinque. Quinque civitates refugii (Ios. 21). Quinque (Numer. 31) principes Madian simul ab Israelitis occisi. Quinque (Ios. cap. 10) reges Amorrhaeorum extincti. Quinque (Iudic. 3) satrapae Philistinorum cum suis Satrapis, cultuque idolorum, in medio Israelitarum relictis, ut haberent Iudaei, a quibus vexarentur. Quinque (Iudic. 18) exploratores a tribu Dan emissi. Quinque (1. Reg. 6) anni, totidemque mures Philistinorum ex auro fieri iussa propitiando numini. Lapidis (1. Reg. 17) quinque limpidissimi Davidis. Panes (1. Reg. 17) quinque propositionis ab eodem petiti. Viri quinque (2. Machab. 10) de coelo Machabaeis in praelio albis equis apparentes. Quinque (Matth. 14) panes, quibus pascebat Dominus hominum millia quinque. Tacebat (Matth. 15) quinque data superlucra totidem. Quinque (Ioann. 25) porticus Betsaida: aliaque complura similia quinario divinitus celebrata numero, numerum ipsum singulari consecravit mysterio. Ad haec super numero quinario miracula legitur facta in Scriptura sacra. Quinque namque verbis mysterium incarnationis Dominicae fuit celebratum: *Fiat mihi secundum verbum tuum* (Luc. cap. 1). Sub quinque verbis consecratur sacramentum Eucharistiae: *Hoc est enim corpus meum*. Christus quinque verbis latrone a dextris suscepit ad gloriam: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Quinque verbis facta est conversio Pauli: *Domine quid me vis facere?* (Act. cap. 9). Et ipse inquit (1. Corinth. 14): *In Ecclesia volo quinque verba loqui in meo sensu, ut alios instruam.*

De numero autem decadis haec accipe. Numerus decas, sive denarius in Scriptura certus index mysterii est, nisi forte quis Dei ad Moysen mandatum istud aut vanum, et iuane, aut superstitionum, et male interpretandum putet, quo ita praecipiebatur (Exod. cap. 26): *Tabernaculum vero ita facies: decem cortinas de bysso retorta, et hyacintho, etc. facies. Ac rursus ibidem: Facies et vectes de lignis Setim, quinque in uno latere, et quinque in altero. Credimus ne sapientissimum Salomonem nihil ad rationis, aut momenti, aut mysterii in denario numero posuisse, quando (3. Reg. 6) fecit in oraculo duos cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis, et alas decem cubitos habentes? Magna sancti Patris in hoc numero mysteria praeverident, sicut et in isto. Decem quoque cubitorum erat cherubim secundus; idem (2. Paralip. 4): *Fecit autem et candelabra aurea decem, neonon et mensas decem, aliaque talia numero eodem, quin et victimas nisi varias facere denas tubebat sacerdotibus Deus. Quid? si (Gen. 8) vel decem iusti in Sodoma reperiti fuissent, numerus is iustorum ad numinis placationem valisset. Non absque mysterio ser-**



vus Abrahæ (*Genes. 24*) tulit decem camelos sponsum filio ipsius quaesiturus. David (*1. Reg. 17*) panes decem afferre fratribus iussus, tulit. Sol (*4. Reg. 20*) decem gradibus retrocessit. Talenta (*Luc. 19*) decem, et decem servi, civitatesque decem fideli servo condonatae. Leprosi decem (*Luc. 17*) a numero hæc omnia mysterium acceperunt. Unde et hoc de numero Gregorius Magnus (*lib. 35. mor. cap. 20*): *Denarius numerus in Scriptura perfectus est: quia lex in decem præceptis concluditur, omnisque culpa non amplius, quam per decem verba cohibetur, atque enarrantem veritate operatores vitæ remunerantur, etc. ut homo de remuneratione operis, quasi quodam denario, consummatus vivat. Sileo, quæ ibidem pluribus philosophatur.*

Quasi de Rosarii decedibus bene Leodiense Manuale (*cap. 2. part. 8*) sic loquitur: *Salutationem angelicam cuique orationi Dominicæ decies subicitur, ut in mentem nobis veniat decem mandatorum Dei observatio. Huc refert certe Alanus (lib. de dignit. Psalt.) illud Davidicum (Psal. 32): Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi, cantate ei canticum novum, novi testamenti primum, quod est saluatio Angelica. Quia (Psal. 91): Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo altissime, in decachordo psalterio, cum citharo, et cithara. Dic ergo his (Psalm. 143): Deus canticum novum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi. Ubi s. Prosper (in expos. Psal. 143): Canticum novum, inquit, est canticum gratiæ, et novi hominis, ac novi testamenti, quod in decachordo, id est, in decem præceptis legis cantur: quia perfecta est in charitate canticatio, illa præsertim angelicæ salutationis, quæ ad memoriam decalogi, per decades in parthenico psalterio rite solemniterque repetitur, ut, qui dum corde et ore Virginem in salutatione veneramus, eandem et in vitæ conversatione opere ipso imitemur. Quæque igitur decas in psalterio et representat illud Davidicum decachordum, et eandem cum ipso significationem habet. Quod autem post decarium angelicarum salutationum semel Pater noster dicatur, illud mihi ob oculos ponit, quod volentem attingere terminum, oportet transire per medium; medium autem perveniendi ad Christum, Deipara Virgo est.*

Venio iam ad numerum quinquagenarium angelicarum salutationum: hic in sacris Scripturis sacer est, et multis mysteriis gravidus. In lege naturali annus iubilæus, hoc est, quinquagesimus, ortum habuit, cum Abraham post devictos quatuor reges, et reductum Loth, omnes captivos dimisit liberos: tunc enim Loth erat quinquaginta annorum; vel ut alii, tunc erat quinquaginta anni, quod locutus fuerat Abraham Deus in via: vel ut alii, tunc erat quinquaginta anni, ex quo recesserat de Aram terra sua. Item Abraham erat astorum peritissimus, ut refert Solinus (*lib. de mirab. mundi*); ideoque perpendit, quod intemperies aeris, quæ est in elementis, semper in quinquagesimo anno ad temperiem redit, ut Hugo cardinalis adnotavit (*in cap. 25. Levit.*): Deinde in

anno quinquagesimo, in quo iubilæus erat, possessiones restituebantur gratis, debita relaxabantur, et servi dimittebantur liberi, ut sacra Levitici refert historia (*cap. 25*): Quæ omnia pulchre in Mariam conveniunt, per cuius meritam, et preces hæc consequimur bona. Addo, quod Psalmus misericordiae, et remissionis est quinquagesimus, quem cum David recitaret, audire meruit: *Transtulit Dominus peccatum a te, ut legimus (in cop. tot. de ponit. distinct. 3)*. Quid, quod in lege nova die quinquagesimo post resurrectionem misit Dominus Spiritum sanctum in Apostolos suos in unum congregatos, ut habetur (*Act. 1*). Accedit his divus Augustinus (*in ill. Luc. 16*): *Sede cito, et scribe quinquaginta, asserentem numerum quinquagenarium esse remissionis, iuxta illud (Genes. 16): Si invenero in Sodoma quinquaginta, dimittam. Erat etiam annus quinquagesimus, in quo Levitis dabatur requies: sic enim legitur (Numerorum 8): Cum quinquagesimum annum compleverint, servire cessabunt, et eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo foederis, ut custodiant, quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non facient. Tandem piissimus Cornelius Ordinis Prædicatorum (*lib. de Rosario*) hæc de numero quinquagenario salutationum angelicarum adnotavit: *Est, inquit, conformitas quædam Pater noster, et quinquaginta Ave Maria: nam sicut in Rosario quinquaginta Ave Maria continentur: sic in Pater noster habentur quinquaginta voces, addito Amen. Cum autem nulla Christi vocula mysterio vacet, eas in oratione Domini singulis salutationibus Virgini offerendas commendamus. Non igitur numerus salutationum aut novus, aut superstitiosus censi debet.**

Porro de numero quinquagenario decadem, quæ conficiuntur centum quinquaginta salutationes Angelicæ, hæc tibi offero, quæ sacrum illum esse palam ostendunt: etenim tempore diluvii, postquam ira Dei in misericordiam commutata fuit, aquæ diluvii coeperunt post centum, et quinquaginta dies diminui: Psalmorum liber centum, et quinquaginta continet: Saltus Lybani, quæ h. Virginem præfiguravit, centum erat cubitorum longitudinis, et quinquaginta latitudinis, ut habetur (*lib. 3. Reg. 7*), per quam Marianæ charitatis, et misericordiae latitudo exprimitur, divo Bernardo dicente (*serm. 4. de Assumptione*): *Latitudo eius replet orbem terrarum, ut sua quoque misericordia plena sit omnis creatura. Longitudo eius usque in diem longissimum invocantibus eam subvenit universis. Subtilitas eius civitatis supernæ invenit restaurationem; et profundum eius sedentibus in tenebris, et umbra mortis obtinuit redemptionem. Quibus omnibus addo celeberrimum locum (Eccles. cap. 11): Da partem septem, nec non et octo, quia ignoras, quid futurum sit mali super terram. Varias susinet hic locus explanationes: eas, quæ literales sunt, primum apponam, deinde tropologicæ. Chaldaeus opinatur hoc loco contineri providum consilium pro patrefamilias, ut agrum serat tempestive, et non mense tantum Tyrsi, id est, Septembris, sed etiam Casieu, id est, Novembris, cum ignoret, quando futura sit copia, vel penuria*

annonæ. Quidam interpretantur hunc locum de elemosyna faciendâ: in modo tamens explicandi variant: nam cardinalis Caietanus ait, da partem nominibus septem, hoc est, certo numero pauperum, qui numerus ab eis fortasse tunc apud Iudæos elemosynarios observabatur ob reverentiam divinarum actionum, quæ septem diebus describantur a Moysè (*Gen. c. 1*), supputato sabbato quietis, sicut modo consueverunt multi pascere pauperes duodecim in memoriam duodecim Apostolorum: do etiam pauperibus, octo videlicet, si quis ad illum decretum ordinariæ numerum accesserit. Nicolaus autem legens partes, docet, dandum nobis abundanter indigentibus de bonis nostris: septenarius enim numerus denotat universitatem, ut discessens de septem Diaconis docet Lorinus (*in caput 6. Act.*): vel certe septem, octo dixit ad expellendos omnes peccentes, ita ut observemus illud Christi Domini (*Luc. 6*): *Omni petenti tribue, hoc est, non diadicando, aut curiose scrutando singulorum conditiones, et merita, ut docent Chrysostomus (sermonibus ad populum), et Nazianzenus (oratione in laudem Patris); nec enim refert, quod sint peccatores, dummodo egeant, ut monet divus Augustinus (in Psal. 22), et divus Gregorius (3. part. past. admon. 21), imo ad id exemplo suo Deus ipse nos hortatur, plenus, et solem suum oriri faciens super bonos, et super malos, iustos, et iniustos. Unde Christus Dominus ad id suadendum, parabolas induxit invitantis ad coenam debiles, claudos, coecos. Ad quæ hunc existimo literalem sensum huius loci, cui consona sunt verba sequentia: *Quia ignoras, quid futurum sit mali super terram. Quibus plane promittitur copiose elargienti elemosynam, et indiscriminatim omnibus liberandum esse a malo in terram superventuro: vel certe explicandum est de malo imminente, quod ab indigentibus amoveri potest benigna largitione. Alii referunt quorundam versionem, qui legunt: *Quia ignoras, quid futurum sit mali subus terram: etenim secundum hanc lectionem invitatum ad dandum elemosynam, ut mitiores sint poenæ Purgatorii, quod subus terram est.***

Sed ad allegoricos sensus me convertens, omissis multis aliis, quos refert Lorinus (*in c. 11. in Eccles.*), quatuor solum hic apponam, qui mihi celebriores esse videntur. Primus est, quod per partem septem intelligitur sabbatum, qui est septimus dies, quem Hebraei valde observabant; per partem vero octo, designatur dies Dominicus resurrectionis Christi Domini, quem Christiani religiose colunt. Cum ergo dicitur da partem septem, et octo, monendum credere veritatem testamenti veteris, et novi, ne simus sicut Iudæi, qui sabbatum duntaxat observabant; neque ut haeretici Manichæus, et Marcion, qui totam legem veterem repudiabant: atque huc facit, quod d. Ambrosius (*lib. de Jacob. cap. 11*) disputans de septem Machabæis, ait: *Illo in utroque numero, sacramentum gratiæ consecutus in lege nutritus per gratiam coronari septem, tanquam in sabbato; octo, tanquam in Evangelio. Facit etiam, ad idemque adducit septem pastores, et octo morsus hominum, apud Michæam (c. 5), id*

CARTHAGENA DE B. M. V. — Vol. III.

est, præcepta legis, et Evangelii mandata, in quo decorata est mors.

Secundus sensus tropologicus est, hoc, quod vivimus esse sæculum septimum, in quo hinc nobis operibus vacandum; octavum vero, quod expectatur, ad præmia esse destinatum. Moneatur ergo, vitam totam nostram septem partibus constantem, infantia, pueritia, adolescentia, iuventute, senectute, et tempore mortis Deo offerre, ut deinceps octava æternæ felicitatis frumatur, ad quod ut provocemur, ob oculos nobis proponitur malum, in finali iudicio superventurum, quia ignoras, quid futurum sit mali super terram: ut enim a malo illo liberemur, in memoriam nobis revocat Spiritus sanctus septiformem gratiam nunc in nobis perficiendam, et postea per gloriam remunerandam.

Tertius sensus est, septenarii fieri mentionem in prædicto loco propter septem opera misericordiae, et octonarii, qui symbolum est beatitudinis propter exercitia vitæ contemplatiæ, in qua viatoribus heatis assimilantur. Unde d. Gregorius (*in 6. Psal. Poenit.*) introducit Salomonem dicentem Deo, da partem septem, da et octo: *Optabat, inquit, regiæ dignitatis potentia præditus ita sibi subditos populos regere, ut tamen contemplatione divina non defraudaretur perfectio.*

Verum nostro argumento inserviens ultimum adiungo tropologicum sensum. Moneatur fideles septem, et octo partes Deo dare, recitatione quindecim decadem Rosarii, et meditatione quindecim mysteriorum, in quorum memoria iste precum numerus sacer est; ad idque præstandum stimulus ille nobis adiciatur, quod hac ratione, multa alioquin superventura in nos mala vitabimus, quia ignoras, quid futurum sit mali super terram. Sed quia hic stimulus timoris est, addo ego alium amoris singulariter adumbrati in quindecim argenteis, quibus Oseas (*cap. 3*) coniunxit sibi metreticem. Bone Deus, quoties Christus Dominus in Oseam significatus, perditissimas animas mediis quindecim Rosarii decedibus sibi artibus amoris vinculo copulavit? Qui id non crediderit, vacet huic exercitio, et continuo perierit, Christi amore inflammati, nihilque a veritate alienum nos effundere. Hæc sufficient de numero quinquagenario.

Nunc iam me convertam ad hæreticorum tela infringenda, quibus impudenter laceant sacram Mariani Rosarii consuetudinem. Irrident in primis laudabilem consuetudinem, qua fraternalitas hæc utitur, dum omnes confratres in speciali libro, sive matricula conscribit; inscriptionem hæc tanquam omnino inutilem aspernantur; verum laudabilem, et utilem esse, non solum civilibus, et humanis legibus, sed ex sacris Scripturis aperte demonstrabo: etenim, sicut Deus Optimus Maximus prædestinatos in libro vitæ, ut divus Ioannes (3. Apocal.) testatur, ita Deipara Virgo vult, in obsequium suum destinatos speciali libro conscribi, ut illorum inscriptio sit velut pignus quoddam scriptiois eorumdem in libro vitæ: et in eodem convenienter vitæ illa, non delebo nomina eorum de libro vitæ: sicut et in hostes



eiusdem Virginis illa alia conveniunt Davidis (Psalmo 60): *Delectantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur.* Unde doctissimus Cornelius (serm. 13) dixit: *Inscriptio haec recte significat inscriptionem aeternalem, quae est per praedestinationem electorum, quae dicitur liber vitae, a quo petimus non deleri meritis, et intercessionem sanctissimae Virginis Mariae, in cuius signum, nato Salvatore, exiit edictum ut describeretur universus orbis.* Ad quod respiciens divus Gregorius (hom. 8. in Evangel.) dixit: *Quid est, quod, nascente Domino, universus orbis describitur, nisi quia hic aperte monstratur, quia ille veniebat in carne, qui electos suos adscriberet in aeternitatem.* Deinde, sicut in lege veteri (Exod. 2) nomina filiorum Israel in veste Aaron inscripta erant, et Neomias (cap. 7) ait: *Inveni librum in quo scripta erant nomina transmigrantium, et redemptium ad civitatem suam; et Daniel (cap. 12) inquit: Salvabitur omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro; ita in libro sacro huius fraternitatis inscripta sunt nomina famulorum Virginis, qui per eius merita, et intercessionem transmigraturi sunt in coelestem Ierusalem, et redituri ad supernam patriam, quia non habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* Unde, sicut olim, ut legitur (Ezechiel. 9), servi Dei signati fuerunt signo Tau, ne divina ultio in eos irrueret, et qui non erant signati, angeli gladio interficerent; sic qui fuerint scripti in libro hoc confraternitatis, signum Rosarii praesertentes, et documenta eius implentes, divinam ultionem non suslinebunt, sed Deiparae Mariae intercessione Dei misericordiam experientur. Quare beatus Alanus (in Apolog. cap. 17) dixit: *Scribantur et in signum divinae electionis, quia sicut Ioanne in sua Apocalypsi capite septimo ad attestante de omni tribu filiorum Israel centum quadraginta millia fuerunt praeservati a plagis quatuor angelorum; non minora beneficia recipient, cum nec sint Israelitae inferiores, nec Maria inferior Moysae, nec salutatio angelica peioris conditionis, quam fuerit illa vetus scriptura.*

Est insuper haec inscriptio pignus amicitiae singularis inter Virginem, et eius clientulos, benevolentiae, et amicitiae Alexander inscribi haec, quia ignorat inter primos eius amicos. Ad praecleara in iure Canonico reperi exempla: recens baptizati in libro inscribuntur, nec non regularem professionem emittentes (27. quaest. 1. cap. omnes foeminae in servorum ordinatione distinctae. 5. cap. nulli); ac tandem Pontifices, et Quid plura? in iure quoque civili scriptiones non desiderantur, quin polius admittantur, et militiae nomina dantes, in militia libro dantur: tum propter honorem, et reverentiam; tum senatores, qui Patres conscripti dicebantur; consules, qui in fastis consulares referebantur; cives in Album civitatis, tribum contribules in libris tribulibus recensentur

a censoribus, equites in equestris ordinis codicem millebantur, candidatorum nomenclaturis, et nomenclaturis nihil erat frequentius; tum propter amicitiam, sicut inter primos amicos: tum propter beneficentiam, instar regis Assueri, ut habetur (Esther. cap. 6): fecit enim sibi afferri historias, et annales quorundam temporum. In quibus invenit, primum Mardocheus beneficium sibi praestiterat, et nondum remuneratum honoribus multis cumulavit. Accedit his omnibus utilem valde esse hanc fratrum inscriptionem, ut facilius sit notitia eorum, qui ad hanc confraternitatem pertinent, nec non eorum, pro quibus vita functis preces sint effundendae. Dic ergo haereticis, inscriptionem hanc mordentibus, illud Pauli (1. Corinth. 2): *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei, stultitia est illi, et non potest intelligere, quia spiritaliter examinatur; spiritalis autem omnia indicat.*

Ad extremum oblatrant haeretici, quorum sepulcrum patens est gultur eorum, venenum aspidum sub labiis ipsorum, quod fraternitas haec exlex sit: hoc est, immunis ab omni propriae legis obligatione, quod videtur prorsus a ratione alienum, eloquentiae patet (lib. 3. de legibus) dicente: *Nihil est tam ad ius, conditionemque naturae, quam lex, sine qua nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* Fatemur quidem, in hac confraternitate non esse leges, quae obligent sub culpa, vel poena transgredienti inferenda, non tamen caret legibus directivis, non coercitivis: hoc est, quibusdam legibus praescribentibus ea, quae facere debent confratres, ut bonis totius confraternitatis fruatur: viget lex de persolvendo integro Psalterii penso singulis hebdomadis per se, vel per alium: quod qui praestat, participem se reddit omnium Rosariorum, quae per illam hebdomadam ab omnibus in tota fraternitate per orbem universum orantur; si tamen contingat id una, vel pluribus septimanis omitti, toties, et ipsius pensum meritum, et specialem eam aliorum Rosariorum communitatem perdit, quae iactura poena potest dici illius omissionis. Manet hic quoque verissimum, quod d. Augustinus (hom. 5. in Act. Apost.) dixit: *Lex non invenitur sine poena.* Memini s. Gregorium (in Registro lib. 8) dixisse: *Liber homo si fraudem committit, in persona non debet puniri, sed in facultate:* cum ergo specialis communio orationum, et satisfactorum sint propriae facultates huius fraternitatis, merito confratres in ea liberi, negligentes tamen in solvendo Mariam Psalterii penso, in facultatibus puniuntur, non in persona. Quam autem cum ratione consentaneum fuerit nullum imponere praecipit onus, sub culpa etiam veniali aut levi poena, ex fine ipsius fraternitatis facili colligitur; quae facili via, modoque suavi omnes Christianos, cuiusque status, aetatis, conditionis, et sexus ad observantiam divinorum mandatorum Christi et obedientiam, et beatae Virginis devotionem inducere satagit. Ad hoc autem maxime conducebat ab omni praecipito immunitas: multis enim praecipiti onere perterritis, ianna praec-

claderetur ad ingrediendum hanc fraternitatem. Quare ut illa omnibus apta esset, cunctis conveniens, singulis commoda, facilis, et a quoque tolerabilis, ita ut magis sublevaret, quam gravaret, omnino opus fuit, nullam conditionem legem in hac confraternitate, quae sub culpa aliqua, vel poena obligaret. Unde arbitror, in fratre huius Confraternitatis egregiae convenire verba illa d. Pauli (ad Rom. 2): *Legem non habentes, ipsi sunt sibi lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum:* nec non et illa eiusdem divi Pauli (ad Timoth. 1): *Lex iusto non est posita, sed iniustus, et subtilis impiis.* Hoc sane adamus impleretur in illis, qui christiana praecipita, non quia praecipitorum onere praegravati, custodiunt, sed quia iusta, sancta, et salutaria, et Deo grata esse credunt; illa amant, et tota mente complectuntur, quales sane non desiderantur in hac fraternitate Deiparae Virginis consecrata; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA X.

*Aginus de pio, ac laudabili processionum ritu, quo Mariae Rosarii Confratres Deiparam Virginem religiose colunt.*

Sanctus Theodoros, ut refertur in Calena Lippomani, et cardinalis Caietanus (sup. Exod. 3) quaerunt, quare Deus Moysi, volenti accedere ad intrandum Rubum ardentem, et non combustum, Deus praecipit, ne accederet, nisi pedibus discaleatis; respondet, rationem fuisse, quia locus ille ex praesentia illius stupendi miraculi sanctus erat: plane tamen mihi videtur Spiritus sanctus adumbrare voluisse cultum, et reverentiam debitam beatae Virginis. Thalamos enim Virginalis locus sanctus fuit, in quo patrum fuit stipendium illud, ac portentosum miraculum unionis ignis cum rubo; hoc est, unionemque Dei, qui ignis consumens est, cum carne, qui rubus est, ex terra nascentis. Haec ergo sacro loco, in quo tantum mysterium celebratum fuit, vult Deus non aliter accedere, quam discaleatis pedibus, hoc est, depositis carnalibus affectibus, ac singulari animi devotione, et reverentia illum venerari.

Ad hanc ergo reverentiam impense excedendam salubriter, ac religiose institutae sunt processiones, in quibus Deipara Virgo, velut ovans triumphali ferculo circumducitur: quae pia consuetudo minime recens censenda est, sed perantiqua: nam omissa, quod Rupertus (lib. 7. de div. off. c. 25) processiones, quae Dominicis diebus fieri consueverant, ad Deiparae Oratorium primum omnium tendere affirmat: loquens enim de resurrectione Domini, ait: *Recte a maioribus nostri Ordinis traditum est, et quasi pro lege firmum conservatur, ut in processionebus, cunctis per annum Dominicis, bea-*

*tae Dei Genitricis memoriam prima statione visitemus. decantando quodlibet, et quod eius proprium sit; et quae salutata, et orationis dicta. tunc demum processionem peragamus. Sicque fervente sacras religionis studio provium est, ut infra castrum debeat eisdem beatae Virginis diversorum scilicet sacramentum in ipsius honore, proprium nominis eius oratorium. Quid convenientius, quid pulchrius, quid venerabilius, quam congratulari Matri Virgini super resurrectione Unigeniti? haec tunc ille.*

Verum, omissa etiam, quod in universali Ecclesia instituta est quotannis celebris processio cum accensis cereis in die purificationis; quae, ut ait s. Antoninus (4. par. tit. 13. c. 24. §. 3), fit in honorem praecipita, non quia praecipitorum onere in ramis palmarum: nam sicut tunc portantur rami olivae cum palmis in signum victoriae Christi de morte per resurrectionem, ostendentes etiam nos victoriam de vitis per poenitentiam ad vitam gratiae resurrexisse, ita in die purificationis candelas accensas gestamus in manibus, lumen ardentissimae charitatis Virginis designamus, et eam viam in nostris operibus habere protestantes. Haec sanctus Antoninus, qui et adiecit, quemadmodum in Ascensionis Dominicae die in honorem Christi fieri processio consuevit, ita in virginiae assumptionis die fieri solitam esse processionem in Deiparae honorem cum tota coelesti curia una cum Christo filio, obviam ei processit, ad eam in coelo recipiendam, ac in regio suo throno collocandam.

Alius lamen ut argumentum hoc repetamus, patienter quaeso ferat lector, si multa, quae antiquae historiae de gestatione Deiparae Virginis in processionebus nobis tradidit, hoc loco commemorem, ut haereticorum ora obstruam, mendaciter effluentium, novum inventum esse monachorum Processionum ritum. Non solum abiicienda, sed defendenda sane est istorum in maligno posita ratio, quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, qui in processionebus nostris pro conversione tua supplicatur: tunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, et odio odisti nos gratis: a te maledicimus, et benedicimus, persecutionem palitum, et sustinemus, blasphemamur, et obsecramus, et obsecrabimur non deficientes, usque dum in bono malum vincamus per illam, in cuius nomine, et ad cuius honorem congregamur fratres in unum, et corde uno et anima una Mariam Dei Matrem veneramus.

Ad rem tamen nostram rediens, nemo ignorat per processiones ad beatam Virginem clamantem ingruentem pestem, quae Romam graviter opprimebat, penitus fuisse extinctam, ut laic tradunt Baronius tom. 8. anno 601. et Sigonius (lib. 1. de Regno Italiae). In quadam autem illarum processionum, ipse summus Pontifex Gregorius Magnus circumtulit Deiparae imaginem, quae a s. Luca traditur depicta, et nunc extat in Basilica sanctae Mariae ad Praesepe in celeberrimo sacello, quod in eius honorem extruxit summus Pontifex Paulus V. Refert autem Carolus Sigonius (praef. loco), auditos tunc tempore processionis angelos in ae-



re suavissime concientes, et addit Paulus Diaconus (*lib. 3. de gestis Longobardorum c. 23*), auctum angelum ad virginem dicentem, *Regina coeli lactare, etc.* cum subiungit s. Gregorius: *Ora pro nobis alleluia*: huius vero angeli in forma pueri apparentis impressa vestigia in marmoreo lapide ab eo relicta, in nostro conventu Arae coeli religiose asservantur, et palam ab omnibus conspiciuntur. Deinde Anastasius bibliothecarius Pontificus Stephano III. haec narrat: *In una diebus, cum multa humilitate Stephanus procedens in titania, cum sanctissima imagine Domini Dei, et Salvatoris nostri Iesu Christi, quae Ageropaeta, non manufacta nuncupatur, simulque eum ea alia diversa sacra mysteria recipiens, proprio humero ipsam sanctam Imaginem cum reliquis sacerdotibus, idem s. Papa gestans, nudis pedibus tam ipse quam universa plebs incedentes, in Ecclesia sanctae Dei genitricis, quae ad praesepe nuncupatur, posito in omnibus capitibus populorum cinere, cum maximo eiulatu per gentes misericordissimum Dominum nostrum deprecantur*: haec ille, Item nova Roma urbs urbium Orientis diu Imperatrix Byzantium, post Constantinopolis dicta, Deiparae Virgini tota dicata, nihilo minore gestatae in processionebus Marianae Imaginis reliquit exempla. Unum accipie compendium ex cardinali Caesare Baronio tom. 8. anno 625. *Heraclio Orientis imperatore Persiam cum victore exercitu funditus conquassante, Cosros rex Persarum Sabarum cum quinquaginta lectissimorum militum milibus ad obsidendam Constantinopolim mittit: retrahendo e Persia, Victor Heraclio. Sabarus dux, Iuvenis in auxilium accersitis, terra marique Byzantium dies iam decem premebat: cum incolae per omnia templa supplicent, et post Deum Dei Matrem proximam in auxilium vocant; adest certa: hostis Barbarus aliquando mane primo coeli regnum ore habitusque Virginis, cum maximis copiis ex urbe exire, et in suos ducere cernebat, Strategia suspicabatur. At illa iam castris proxima aciem flectit, viamque reuertit. Sabarus erumpit, insequitur, Virgo cum copiis disparet: illi in sese versi, mutuis scilicet strage maxima currunt. Dux classe effugiens cum reliquis tempestate obrutus mari hauritur, ac disperit. Sorarius (de process. lib. 1. cap. 5), et Grethseus (*lib. 1. cap. 11*) narrant, iterum paucis post annis obsessam a Chagano Seytha, per supplicationes cum imagines almae Virginis factas liberatam, nam patriarcha Sergius, acceptis Deiparae sacris imaginibus, cum omni multitudine, moenia supra circumibat, maximum ex ea re praesidium ipsis comparans. Idem factum sub eodem Heraclio anno 1126. in Persia refert cardinalis Baronius tom. 8. quando uno confectu duos ingentes exercitus Razatis ducis in terminatione debelat, desideratis e suis non amplius quinquaginta. Razatis Heraclitus aurea arma beatae Virgini victrici suspendebat, neque unquam inibat praelium, antequam hanc supplicationibus sibi demereri studisset. Saracenis quoque Constantinopolim obsidentibus, anno 717. Clerus cum civibus patronae ut sibi supplicent, imaginem ipsius per moenia*

circumportant: hostes fame, pesteque pererunt, pars naufragio, dum anno 718. solvunt, obsidione merguntur, reliqua pars cum navibus, ignea de coelo grandine perfluit, comburantur: ut quinque tantum cladis nunciae ambae vix evaderent. Cum liberationis diem Constantinopolitani exinde annum, festumque Virgini celebrarunt, anno 727. Dux quidam in eadem urbe lapidis ictu, beatae Virginis slatum percutiebatur. Ea secundum noctis quietem illi apparetur ait: *Fortis es, sed in caput tuum id fecisti*. Saraceni rursus urbem cingunt, et is primus erat, cuius caput, coniecto forte saxo per hostes, conteritur sub Leone Isaurio Iconomacho. Tunc sacer Urbis populus venerabiliter honorandae, et vivificae crucis ligno, simulque veneranda Dei Matris, quae Hodegedria est, seu viae Dux, et monstratrix, imagine assumpta, forasque adducta, circumibat Urbis moenia cum lacrymis propitiis: sic Triduum Graecum. Quid, quod Virginis Mariae imagines, ut iidem referunt, in triumphis duci consueverunt, atque adeo ipsas triumphare voluerunt? Emmanuel devictam a se Pannoniam Constantinopoli triumphavit, ut Nicetas prodit. Curri autem, quem partim aureum, partim argenteum albi trahebant equi, imposita est Dei Matris Imago, quae Mater adiutrix fuerat opportuna. Fortunatas illas rotas, imperator ipse, imperatorisque propinqui, amici, duces, senatus universus, quique magistratu aliquo, seu honore praestabant, venerandi sequebantur. Constantinus item Palaologus, ut referunt Annales Byzantii, et Gregorius (*in sua historia*), Ioannes Zonara (*tom. 3. ann.*), cum urbem imperii sedem, ac domicilium amisisset, amissamque felicissimo eventu recepisset, ut primum Constantinopolim, recuperatis constitutisque rebus, pervenit, coram divae Matris imagine illa, cuius pictura sancto Lucae tribuitur, gratias primum egit, et prae laetitia collacrymavit; mox illam eandem triumphali religiosaque pompa circumlatam pedes ipse prosequitur. Pius et Gratas imperator eam triumphare voluit, cui vicloriam acceptam referebat: similiter Ioannes Ximista Orientis imperator: hoc contra Russos dimicant, cum anceps fluctaret vicloria, ea tandem penes coelitus adiutos Imperatores stabat. Nam hostium ora subito coorta tempestas subinde verberabat. In equo tunc visus est quidam Romanos defendens, Barbarosque profligans. Agebantur tunc feriae sancti Theodori martyris. Huic pridie vicloriae, vidit religiosa quaedam a Deipara negotium dari, ut Ximistam adiuveret. Ergo Viclor ei templum religiose ponit. Et cum vicloria imperatoris Cleonis, Senatus, populusque Byzantibus obviam effusus coronas offerant, currumque triumphalem regie apparatus, quem albi equi quatuor impellebant. Coronas accipit imperator, unico triumphat equo, curru spoliis regum devictorum optimis ornato, almae Virginis simulacrum imponit, currum anteit vultus equo, triumphandique gloriam victricis Mariae Virgini, coelesti Bellonae, gratias, libensque concedit. Pari gratitudine, et exemplo Ioannes Comnenus, imperator Constantinopolitanus, ut auctor est Nicetas Choniates in annalibus Persas

triumphans, Deiparae imaginem in currum triumphalem collocavit, equorum habenas nobilissimo cuique tractandas dedit, pedes ipse sequitur in templum. Idem quoque exemplum et nostra vidit aetas, id quod Franciscus Bencius in annalibus anno 1385. ita refert. Lusitani erant fere ducenti, foederatorum Aethiopum decem millia sub signis habebant: haec tantula manus tota sexcenta adversariorum mille fudit, fugavitque incrementa prorsus vicloria. Praetor Lusitanus Virginis effigiem secum semper in expeditionibus habebat, et flexo venerabatur genu quotidie: haec in castra solemniter pompa reducta est. Saxoniae Domitor Germanorum rex I, et imperator Carolus Magnus, itemque filius eius, et in imperio successor Ludovicus Pius, vix unquam visi in praelio, vel in publico sunt, quin aurei velleris loco, iemculum Deiparae ex collo circumferrent. Et ulla usquam Mariana videretur processio, quam non Maria simulacrum praerit: processio nis nulla ratio est, quae non ornatur imagine.

Ceterum, si ad istarum Deiparae Virginis processionum imaginem, et figuram, mentis aciem convertamus, facile comperimus a saeculo veterum patriarcharum eam initium habuisse. Legimus (2. *Paralp.* 2), Arcam foederis, quae res inanimatae erant, semper cum reverentia magna portatam, et collocatam; unde ad maiorem eius honorem (*Deuter. 10*) consulo separata fuit tribus Levi, ex qua solum eligerentur sacerdotes et levitae, qui singulari veneratione arcam venerent: atque Iosue (*cap. 3*) praescriptum fuit populo, ne, quando illi arcam gestabant, ei appropinquare audeant, ideoque percussus Ozia obiit (2. *Reg. 6*), cum letigisset eam, quod ipse sacerdos non esset, ut auctor librorum de mirabilibus sacrae Scripturae apud Augustinum docet (*lib. 2. cap. 14*): vel, ut existimat Lyranus in eum locum, quod eum in plastro posuisset, cum humeris esset gestanda. Imo et (1. *Reg. 6*) ex Bethsanitis plures occisi sunt, quia sine debita reverentia curiosos eam aspiciere voluerunt. Quid plura? Quemadmodum, ut legimus (2. *Reg. 6*) sacerdotis magno cum musicorum apparatu, decedebant arcam Dei, ita nunc Mariani confraternitatis alumni mysticam arcam Mariam, in qua non virga Aaronis, non tabulae legis, non vas Maria, sed Creator ipse coeli, et terrae, carne indutus delituit, humeris suis publico et religioso apparatu circumgestant, o pere et veritate impletes, quod in veteris illius arcae gestatione fuerat adumbratum. Verum sacram hanc processionem Deiparae virginis, caeremoniam, ac pium ritum attentius mihi consideranti plane videtur eandem Virginem exemplo suo praecipuam magistratam, et doctricem habuisse, quae dulce pignus suum Filii Dei non sine mysterio vel circumferrebat, vel secum ducebat, vel comitabatur: etenim postquam prolatis illis verbis, quibus incarnationi Verbi divini in utero eius assensit (*Luc. 1*): *Fiat mihi secundum verbum tuum*, facta fuit ferulorum viri Salomonis Christi Domini, continuo cum sponso suo perrexit in domum Zachariae (*Luc. 2*): *Exurgens Maria in diebus*

*illis, abiit in montana cum festinatione in civitatem Iudaeae*. Mirabilis sane processio haec, in qua Regina coeli procedebat, regem angelorum uteri sui custodia gestabat, iustus Ioseph aderat, comitabantur angeli, Davide dicente (*Psal. 91*): *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Felix processio Virginis, namque

Libertas sequitur, quaeque propinquat  
Incessu, foecundat iter, comitataque gressum,  
Laeta per impressas rotas vindemia plantas.

Ubi vero ventum erat in stationis locum, sacerdotis domum Zachariae; hic qui cantus auditi Deiferae Mariae, qui applausus Elisabethae, quae praecursoris exultatio? Sed nec illa Virginis cum sponso Ioseph in Bethlechem profectio processioni cuidam multum absimilis videri potest, qua stabulum verum in templum, in qua Eternus genitus Deus in lucem edidit. Primo gemit puer: ad quod concinunt angelorum chori, iussi conveniunt pastores ovium, evocari adsumt orientis reges, omnes obsequia deferunt, et debitam novellae praestant religionis christianae officia. Quid ergo de Christi in templo praesentioque dicam? Ex natali stabulo, sive ex Bethlechem progreditur, Virgo comitatur; iustus Ioseph effertur, filius hominis, et Dei interit in templum, sistitur Dominus, offertur Deo; occurrunt illi ab Simone, et Anna: ille canit: *Nunc dimittis, etc.* haec propheta, uterque Deum benedicit, obstupescunt omnes rei gestae miraculo, et spectaculo, de quo ita dicit Bernardus (*ser. 2. de Purific.*): *Offerunt Ioseph, et Maria sacrificium matutinum, Simon, et Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quae per quatuor orbis climata solemnibus hodie laudibus ad memoriam revocatur. Ergo vere illa Theophoria fuit Virginis*. Nec forte minus ista eiusdem fuga in Egyptum cum puero, et Ioseph, quibus, teste Sazonio (*hist. lib. 5. cap. 21*), Hieropolim advenientibus, arbor, quamvis maxima se curvatam ad solum usque inflexit, magnis post clara consanationum miraculis. Ipsis loto Egypto collapsa cesserunt simulacra, terra ipsa balsamum profudit, et odores: quanto igitur verius de illa processionali fuga istud Claudianum:

Qua praeparat veris sequitur color, omnis in herbas  
Target humis, medioque patent converso sereno.  
Sanguine splendore rosas, vacantia nigro  
Imbuti, et dulci violas ferrugine pingit.  
Prosequitur volucres late comitatus euntem.

An non etiam processio erat parentum Iesu cum puero duodenni, quando adoratam ibant secundum consuetudinem per omnes annos in Ierusalem, in die solemnii Paschae? quam officii, devotionis, et religionisque partem omisit Virgo, quando cum filio, Apostolorumque comitatu, Iudaeam omnem, et Galilaeam obibat? quae si minus videri processiones queant, nostratum tamen exemplar esse processionum videri possunt. Denique quis neget illam Virginis tam piam, et sanctam, quam lucuosam



fuisse processionem, quando Mater, cruce praecedente, filium suum istius baulum sequabatur dolorosa? quando sub cruce slabat lacrymosa? quando sub cruce relictum in sinu gerebat luctuosa? quando eum tumulo inferebat desolata? atque, ut paucis multa dicam, omnia Deiparae Virginis cum filio suo liberata, et perorationes, quas, dum in terra degeret, perfecti sane si processiones non dixeris esse, processionum tamen nostrarum exemplar esse minime inficiaberis, cum ad illarum similitudinem, et ad memoriam nostrae referantur, et in illis, velat in fulgenti speculo inueamur, qua ratione in his modesto, ac religiose hos gerere debeamus: quod ut praesertim, praecipua capita indicabo, unde facile innotescat, qua ratione huius sacrae fraternitatis alumni in his processionibus se habere debeant: in primis opus est diligentiam adhibere comparandi in processionibus, de qua memorabilis est d. Augustini sententia (ser. 173. in rogation.), ubi ait: *Nullus sibi de industria aliquas occupationes inquirat, sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus ieiunando, orando, psallendo, medicamenta sibi spiritualia non requirit. Abundant, et nimium abundant negligentiae, quae per totum anni spatium congruamus: agere studemus. Nolite vos de Ecclesiae contentu subtrahere: et infra: Qui per cupiditatem, aut pro alia qualibet minus necessaria occupatione adesse noluerint, inde sibi faciunt crudelia vulnera, unde habere poterant medicamenta salubria, et inde se gravant, unde subleuare poterant. Similis est Gregorii (lib. 2. epist. 10) admonitio: Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat. Nullus quodlibet negotium agere praesumat, quatenus Sancti Genitricis Domini Ecclesiam convenientes, qui simul omnes peccavimus. Eodem spectant et illa Caesarii Episcopi Arelatensis, cum de rogationibus perorant: *Scientes, fratres charissimi, qui terreno rege militat, sese de acie pugnantium subtraheret, non solum gloriam, vel praemia parata non accipiet, sed etiam praesentis vitae pericula non evadit. Sine dubio talis indicandus est et ille qui in istis diebus Christi Ecclesiam derelinquit. Quicumque ergo sine aliqua infirmitate, aut certa occupatione in istis diebus Dei populum deseruerit, in illo coelesti regno non praesumit, sed opprobrium, non gloriam, sed ignominiam recepturam se esse nocerit; quasi fugitivus, et deserit castrorum coelestium.**

Deinde prophanus vestium ornatus abiiciendus est, honestissimae enim Virginis processionem honestus amictus decet: nam et hoc adhibentem Dei cultum facit. Ideoque et lineis vestibus induti fuerunt, qui foederis arcam gestabant; et David linea epomide, seu Ephod operis fuit, ut legitur (2. Reg. 6), unde et Propertius:

*Casta placent superis, pora cum veste venite.*

Unde et cardinalis Iacobus Vitriacensis (serm. de Ihan.) dixit: *In hac processione non debemus ulli ornatu saeculari, sed cum omni humilitate incedere: sane processiones habere non est tan-*

*tum passim procedere pedibus, sed maxime virtutibus.* Nam, ut inquit s. Bernardus (serm. 2. de Parisi.): *Si quis proficere dissimulat, et proficisci de virtute in virtutem, nocerit, quisquis huiusmodi est, in statione, non in processione se esse, imo vero et in regressione, quoniam in via vitae non progredi est, cum nihil adhuc in eodem statu permaneat.* Ad haec de conabulationum abstinentia in processionibus, id quod monet Caesarius Arelatensis Episcopus, hic minime omittendum est, sic scribit: *Non sunt inter Christi examina prudentium apium reputandi, qui non bonis moribus spiritualia mella conficiunt, sed per superbiam, et contemptum et se impediunt, et alios exemplo male concersationis evertunt. Et ideo fratres charissimi, quicumque Dominum in veritate diligunt, et ad Ecclesiam cito veniunt, et tarde discedunt, et perseverant in opere bono, et otiosas, vel saeculares fabulas, vel venenum mortiferum respicientes, magis psallere, et orare conentur, et contententes amaritudinem mundi, in Ecclesia requirant, unde accipiant dulcedinem Christi. Qui vero otiosas fabulis vacant, nec ipsi psallunt, nec alios psallere, vel orare permittunt; qui tales sunt, cito se corrigant, ne sibi in eo loco praeparent mortem, ubi invenire poterant vitam. Itaque in his publicarum supplicationum actibus vigeat quae illud praeconium in sacris quondam gentilium solemne, cuius meminit Brisson (1. formul.): *Faete linguis, animis adstate.* Et illud adstantis monitoris a tergo sacerdotis, aris operaturi, atque huic velut auream vellicantem suggestionem tali: *Hoc age, nunc ora, deinde labora.* Nam et est tempus loquendi, est tempus tacendi: est tacens, ut dixit (Ecl. 13), cui consonat illud eiusdem (c. 20): *Est tacens, qui invenitur sapiens, et est odibilis, qui procaz est ad loquendum. Est tacens, non habens sensum loquelaec, et est tacens, sciens tempus aptum.* Homo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus autem, et imprudens non sercabunt tempus. Praedicaturos ergo illa Dominus praedicandi intentos studio esse voluit, ut etiam praeciperet, *Neminem per viam salvaveritis, quanto magis id supplicabundus docebit?* Risum praeterea in processionibus cavendum, et multo magis a cachinnis abstinentum, hortatur divus Augustinus (serm. 173). ubi de rogationibus loquens, inquit: *Scire debemus, et intelligere fratres charissimi, quia dies compunctionis, et poenitentiae celebramus; et ideo non oportet nimio risu dissolvi, qui meministis illud: vae vobis, qui ridetis, quoniam flebitis.**

Ac tandem curiositatem circumspectiendi, et maxime foeminas, aut quoquo alio modo leviter eas observando, satis illud monet vitandam, quod universa illa lotius generis calamitas e curioso oculorum intuitu initium habuit (Gen. 3): *Vidi mulier, quod bonum esset lignum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, tulit de fructu eius, et comedit.* Ad quae verba respiciens d. Bernardus (lib. de grad. humil.) dixit: *O Eca, quid tam intente tuam mortem intueris? Quid spectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquit, tendo, non manum, non interdictum, ne videam, sed ne comedam. Et si*

culpa non est, culpa tamen indicium est. Nisi mens se minus curiose seraret, tua curiositas tempus vacuum non haberet: etenim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum vilibus serpens, blandiens alloquitur, blanditiis rationem, mendacis timorem compescit: nequamquam, inquiens, moriemini. Auget curam, dum incitat gulam, acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem. Offert prohibitum, et aufert concessum; porrigit pomum, et subripit paradisum. Haurit virus peritura, et perituros paritura. Peril salus, non desistit partus, nascimur, morimur, ideoque nascimur, morituri; quia prius morimur, nascituri. Propterea grave iugum super omnes filios suos usque in hodiernum diem. Eva igitur, serva commissum, expecta promissum, cave prohibitum, ne perdas concessum. Quid illa tam crebro vagantia lumina iacis; haec d. Bernardus. Quia tamen multi dicunt, nunquid Deus non dedit oculum ad videndum; ut quid ergo non videam? audiant isti d. Chrysostomus? qui explicans illud (Gen. 6): *Videntes filii Dei filias hominum*, ait: *Oculorum opus est videre, male autem videre a mente est quae intrinsecus gubernat. Non igitur oculus est ruinae causa, sed voluntatis negligentia, et irrefraenata concupiscentia. Mens in corpore respectu sensuum avara est, qui equos currum trahentes gubernare nesciat, et equos, et seipsum in praecipitum ire facit, sic plane et voluntas nostra, quando nescit sensibus, ut oportet, uti, indulgens inordinatis concupiscentiis, seipsum, et sensus ipsos submergit facit; haec divus Chrysostomus: quibus non dissimilia sunt elegantissima illa verba divi Gregorii (lib. 21. Moral. cap. 7), ubi in hunc modum loquitur: Sicut saepe tentatio*

*per oculos trahitur, sic nonnunquam concepta, intrinsecus compellit sibi extrinsecus oculos deservire. Nam plerumque res quaedam innocenti mente respicitur, sed ipso conceptu animus concupiscentiae gladio confoditur. Non enim David Uriac coniugem ideo studioso respexit, quia concupierat; sed ideo potius concupivit, quia incaute respexit. Fit ergo retributionis examine, ut qui exteriori negligenter utitur oculo, interiori non iniuste caecetur. Saepes autem intrinsecus concupiscentia dominatur, et illecebratus animus ad usus suos, sensus corporos famulari, more tyrannidis exigit, suisque voluptatibus oculos servire compellit, atque, ut ita dicam, fenestras luminis ad tenebras aperit caecitatis. Unde sancti viri cum sinistra pulsantur delectatione sensuum, ipsa per quae formae species ad mentem ingreditur, lumina disciplinae magisterio restringunt, ne praevae cogitationi visio leuocinata famuletur, quae si unquam subtiliter custodiri negligit, cogitationis immunedita prolium ad operationem transit; haec ille.*

Qui igitur sacris Deiparae Virginis processionibus effraenatam sensuum libidinem coercentes, debita reverentia, et devotione intersunt, praeter gratissimum cultus obsequium, quod Dei Parenti impendunt, et praeter varias indulgentiarum divitias, quas lucrantur, vitam et iam aeternam acquirunt; nam si b. Virgo ait (Ecl. 24): *Qui me eluciant, vitam aeternam habebunt; cur non etiam, qui illam religiose ac publice colunt?* cum id non minus cedat in eius, et Christi gloriam; qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.